DE CAUSIS

GANGRÆNÆ;

TENTAMEN INAUGURALE,

Quod in aulâ publicâ celeberrimæ Facultatis medicæ Parisinæ, pro Doctoratûs gradu adipiscendo, die 10 *mensis maii* 1815, *tueri ac dilucidare conabitur*

J. B. LACROIX, Garactensis

(de Guéret, département de la Creuse),

Olìm in Nosodochiis parisiensibus Alumnus, necnon Societatis Instructionis medicæ ejusdem urbis Sodalis, nuperque in navi bellicâ Imperii, *Anversois* nuncupatâ, Chirurgus primarius.

PARISIIS,

TYPIS DIDOT JUNIORIS,

Typographi Facultatis medicæ parisinæ.

1815.

FACULTAS MEDICA PARISINA.

Professores.

D. LEROUX, DECANUS.
D. BOURDIER, *Examinator.*
D. BOYER, *Examinator.*
D. CHAUSSIER, *Præses.*
D. CORVISART.
D. DEYEUX, *Examinator.*
D. DUBOIS.
D. HALLÉ.
D. LALLEMENT.
D. LEROY.
D. PELLETAN.
D. PERCY.
D. PINEL.
D. RICHARD.
D. SUE.
D. THILLAYE.
D. PETIT-RADEL.
D. DES GENETTES.
D. DUMÉRIL.
D. DEJUSSIEU.
D. RICHERAND.
D. VAUQUELIN.
D. DESORMEAUX, *Examinator.*
D. DUPUYTREN, *Examinator.*

Decimo nono frimarii mensis die, anno 7, Scholæ medicæ Professores opiniones in dissertationibus exhibitis emissas auctoribus proprias habendas esse, et illas à se nec approbari nec improbari, statuerunt.

PARENTIBUS OPTIMIS

NECNON DILECTISSIMIS,

PRO BENEFICIIS IN ÆTERNUM MEMORANDIS,

Amoris, venerationis, gratique animi pignus leve, tentamen hocce inaugurale

DICAT, VOVET ET CONSECRAT

FILIUS LACROIX.

DE CAUSIS
GANGRÆNÆ.

PRIUSQUAM de causis gangrænæ disseratur, quid per hanc vocem, *gangrænam*, sit intelligendum, statuere haud supervacuum erit. Quantùm enim de *gangrænâ* (1) et *sphacelo* (2) omni ævo medici dissenserint, nulli latere potest, nî veterum neotericorumque operum planè inscium se fateatur. Et hoc lucidè patebit, si primariorum scripta brevi conspectu perslustremus.

Eorum facilè princeps, divus *Hippocrates*, sphacelum verum, id est, mortem partis non denuntiavit, herclè, in hâc sententiâ : *Quibus cerebrum sphacelo fuerit affectum, in tribus diebus pereunt; si verò hos effugerint, sani fiunt* (3).

A *Celso* de gangrænâ solâ non habitum est, cùm eleganti sermone de ejus curatione hæc ait : « Gangrænam verò, si nondùm planè tenet, sed adhuc incipit, curare non difficillimum est, etc. » (4)

Galenus inter gangrænam et sphacelum discrimina certa imponere voluit, cùm sic effatus est : « Inter siderationem et magnam in-
« flammationem gangræna media est; quæ ubi jam tenet à nullis

(1) Græcè γαγγραινα, à γραω vel γραίνω, edo, consumo.

(2) Græcè σφακηλος; *esthiomenes* quoque (*Guido à cauliaco*) et *sideratio* vocatus est.

(3) Aphorismi, sect. 7, n.° 50, edente *de Mercy*.

(4) De Medicinâ, lib. 5, cap. 26.

« curari potest, etc. (1). » Et aliàs : « Quod in medio est consti-
« tutum ut ad mortificationem tendat, *gangræna* nominatur » (2). Pergameni medici doctrina de gangrænâ et sphacelo ferè ab omnibus, inter quos notandi veniunt *Paulus ab Æginetâ* (3), *Avicenna* (4), *Pareus* (5), *Fabricius ab Aquâ pendente* (6), *Fabricius ab Hildano* (7), *Heisterus* (8), *Boerrhavius*, ejusque clariss. commentator, exculta ad nostra propemodùm tempora invaluit ; sed ob vitia, quæ *Galenum* ipsum non effugerant (9), desueta fermè omninò jacet. Nil certi etenim sub hâc definitione discrimen facit inter gangrænam et sphacelum ; « et nomina verborum generica, uti ait
« *de Sauvages* (10), non debent mutari pro diversis eorum gradibus ;
« secùs triplicandus esset eorum numerus. » Ego verò, fretus auctoritate hujus celeberrimi viri *Quesnai* (11), *Callisen* (12), et scriptis dictisque præclarorum virorum qui in illustri Facultate parisinâ artem medicam actis et lucubrationibus indiès locupletant, *gangrænam* generatim nuncupo mortem partis cujusve corporis. Singillatim habita, cùm erit levis, id est parùm lata, summamque cutis aut visceris latitudinem tenens, *gangræna* propriè aut *escharra* dicetur. Cùm membrum totum viscusve altè invadet, *sphacelus* salutabitur. In ossibus, *necrosis* vocata fuit, et immeritò quidem ;

---

(1) In lib. *Hipp.* de Articulis, comment., lib. 3, p. 566.
(2) De arte curat. ad Glauc., lib. 2, p. 212.
(3) Lib. 4, cap. 19.
(4) Lib. 4; fen. 3, tract. 1, cap. 15.
(5) Œuv., liv. 12 des contusions, combustions, etc., chap. 20.
(6) Lib. 1 de tum. præt. nat., cap. 19.
(7) De gangrænâ et sphacelo, cap. 2.
(8) Inst. chir., pars 1, lib. 4, cap. 14.
(9) De Morbis, lib. 1, cap. 7.
(10) Nosologia methodica, class. 10.
(11) Traité de la Gangrène, chap, 1.
(12) Syst. chirurg. hodiern., ord. 5.

necrosis (1) etenim et mors unum et idem tantummodò consonant. Pro redundantiâ aut paucitate fluidorum, in parte emortuâ degentium, *humida* aut *sicca* erit, etsi posterior à *de Sauvages* et *Callisen necrosis* nomine donata fuerit. Ex dictis, quantùm distet gangræna à *putredine*, seu *gangrænâ nosocomiali*, à *putredine propriè dictâ*, aut dissolutione partis vitâ orbatæ, et ab *asphyxiâ locali*, facilè liquebit. Reverà, in gangrænâ aut putredine nosocomiali, affectu sæpè symptomaticè vigente, vires vitæ haud abolitæ, perversæ verò tantùm deprehenduntur. In putredine aut dissolutione putridâ, quæ omnis gangrænæ sequela est, partis sideratæ elementa varia, sub legibus affinitatis revocata, seriùs ociùsve dissociantur. Cùm tandem asphyxiâ pars aliqua corporis tentatur, in illâ vita omninò latet, sed quandoquè expergefaci potest. His habitis, ad causas gangrænæ, quæ hujusce dissertatiunculæ argumentum speciale erunt, nunc deveniendum est.

Causæ Gangrænæ.

In enucleandis causis quæ gangrænam adducere valent, de efficientibus solis pertractabitur; prædisponentes verò haud raro nullæ, hîc minimi ponderis indagatu forent.

Causæ omnes gangrænæ ad octo genera revocanda mihi videntur, scilicet :

---

(1) A νεκρος, mortuus.

1.° Alteratio texturæ per..........	Contusionem. Ustionem. Actionem causticorum.
2.° Congelatio.	
3.° Actio repercutientium.	
4.° Morbus præeuns...............	Inflammatio. Commotio. Affectiones asthenicæ.
5.° Senectus.	
6.° Circuitus sanguinis impeditus in	Corde. Arteriis. Venis. Vasis capillaribus.
7.° Materies nociva................	Ingesta. Inserta. Delapsa. Applicata.
8.° Specificus habitus.	

Gangrænæ prætereà deprehenduntur quædam, nulli causæ patenti tribuendæ, uti in evolvendâ quâque causâ dicetur.

Alteratio texturæ.

Quomodò per alteratam organorum texturam mors fieri soleat, nemo nescit; sed à triplici causarum ordine ortum ducere notandum est; nempè, 1.° à contusione; 2.° ab ustione; 3.° ab actione causticorum; hæc seorsim perpendamus.

1.° *Contusio.* A contusione haud raro gangræna enasci cernitur; sed in tribus modis equidem; 1.° cùm levis fuit, per inflammatio-

nem indè enatam, gangræna adduci potest; 2.° res eadem supervenit, cùm sanguis, è vasis delapsus, collectionem efformavit, quæ nec resorberi, nec suppurare valet. Ambo casus isti ad inflammationem et fluida effusa revocandi sunt; 3.° contusio tandem mortem parti affert, cùm alteravit illius texturam, actionemque organicam fugavit. Hanc gangrænæ speciem imprimis adducere solent globuli à pyrio pulvere propulsi; qui, plerumquè cutem solventes, vulnera infligere deprehenduntur, quibus parietes collisi, quasique triti, escharrâ plus minùsve aridâ, plerumque hæmorrhagiam frænante, obtecti cernuntur. Aliàs tamen globuli, absque solutâ cute, partes subjacentes adeò lædunt, ut earum texturam ferè terant, quæque efficiunt, peculiariter in thorace, in abdomine, qui, à tormentis bellicis protrusi, necant derepentè milites, quorum mors aëri à globulo moto (1) secùs ac contusioni perperàm tributa fuerat, uti scriptis *Levacher* (2) constat. Præter globulos è sclopetis aut tormentis bellicis emissos, ictus multivarii delapsusque nonnulli, contusioni de quâ hîc agitur ansam præbere possunt.

2.° *Ustio.* Si principium caloris, cujuscumque modi collectum, corpori admotum fuerit, quantitate verò nimiâ ut irritationi vesicationive solis ortum suppeditet, pars læsa subitò vitâ orbatur, et in escharram aridam nigrescentemque convertitur.

3.° *Actio causticorum.* Cùm intùs aut extrà actioni causticorum solidâ liquidâve formâ præditorum pars quæcunque corporis submissa fuit, in eâ seriùs ociùsve, pro suo proprio vitæ modo naturâque caustici, post phænomena diversa, quæ hìc incassùm exponerentur, vita aboletur, escharraque colore, crassitie, duritie, habituque variis, efformatur.

---

(1) Gallicè, *le vent du boulet.*

(2) Mém. de l'Acad. de chir., t. 4.

2.° *Congelatio.*

Adeò frequenter sub actione frigoris vehementis gangræna oriri solet, ut illius historias frustrà enarrarem ; sed uti res se habeat exponere conabor. Modò enim, cùm refrigerationi acri corpus traditum fuit, phlogosi levi, moxque torpore et morte partes extremæ corporis corripiuntur, si diutiùs vigeat frigus ; hæc seriùs ociùs, majori minorive gradu accidunt, pro patientis vigore, exercitationibusque quibus utitur. Modò tamen in parte affectâ circuitus sanguinis planè est impeditus ; vita latet ; asphyxia localis vera adest. In hocce casu, si extrema læsa ad focum intempestivè admoveantur, humores per gelu compressi, ad expansionem vergentes, nullâque vi vitali frænati, receptacula sua disrumpunt, et in stamen reticulare organorum effunduntur ; tùm vitæ reditus fieri nequit, mors jam adest, moxque putredo fit.

3.° *Actio repercutientium.*

Si parti cuive corporis, ut enaturæ inflammationi occurratur, utve jam vigens inflammatio dometur, aut tumoris solvendi causâ, astringentes, frigidæ et universè repercutientes substantiæ applicentur, aut diutiùs cuti hæreant, vires facilè depelluntur, gangrænaque haud raròo adducitur. Hîc revocare licet gangrænas, sub membris aut corpore toto, in aquâ frigidâ immersis, dùm æstuaret, aut febri fervidâ corriperetur, ortas, uti ex observationibus quæ sequuntur constat. Puella laborans febri continuâ, eâque ardentissimâ, dùm die critico sudore et calore summo æstuat, deducitur ab imperitâ quâdam fœminâ ad puteum : huic haustâ situlâ frigidissimæ, immersisque manibus ad frigus captandum, statim exortus est dolor, quàcumque aqua attigerat, cum tumore, cui paulatim successit livor, amissaque est prima articulatio digitorum (1).

(1) *Fab. ab Hild.* de gang. et sph., cap. 4.

Virgo 26 annorum diù affligebatur ardore, sive æstu manuum ac pedum dolorifico ferè intolerabili, nullis remediis cedente; plurimùm enim consilio sine ullo successu usa, adeò ut desperata quasi, proprioque ausu manus pedesque aquæ frigidæ immitteret, per plures dies eam incalescentem (brevì autem incalescebat, quod admirandum, quasi actuali igni fuisset apposita) renovaret, continuaretque tandiù, donec vigore vitali totaliter prostrato, pedum ac manuum gangrænâ fuerit correpta, omnesque digitos in pedibus, plurimos in manibus amiserit (1). Vir febrem ardentissimam incidit, calore propemodùm corpus exurente: refrigerationis causâ, vetulam adstantem, situlam gelidâ plenam apportare rogavit; quo facto, manus aquæ immersit, et cùm benè secum agere existimaret, atque incendii æstum deliniri extinguique animadverteret, diutiùs ità retinuit; his tandem extractis, nigredo ambas livida deturpat cum sensûs privatione, quatuorque digitos manûs dextræ et duos sinistræ pro delectamento refrigerationis amisit (2).

4.° *Morbi præeuntes.*

Sub affectionibus præeuntibus nuncque vigentibus, inflammatione scilicet, commotione, variisque morbis astheniâ stipatis, gangræna sæpè accidit, uti sequitur:

1.° *Inflammatio.* Gangrænam frequenter inflammatio parit; sed ab hâc causâ gangræna non pendere videtur in inflammationibus sub causâ specificâ enatis, et de quibus infrà sermo erit. Hìc de inflammatione genuinâ et exquisitâ tantùm dicetur. Hæc diversis modis gangrænæ ansam præbere valet, nempè: 1.° cùm excessivè viget: hâc simplici causâ vita læsa brevi tempore aboletur omninò. 2.° Cùm, ob vehementiam et situm partis dolentis, tumefactio impeditur. In

---

(1) Ephem. cur. nat., dec. 2, anno 1685.

(2) *Horstius*, obs. med., pars 2, lib. 4, obs. 24.

hocce casu etenim, aponeuroses, cæteraque vincula fibrosa nullâ facultate extensionis subitæ præditæ fræna evadunt, quibus organa ad tumefactionem vergentia opprimuntur, moxque morte fœdantur, nî benefica sectio strangulationi opituletur : hæc fieri cernuntur in inflammationibus profundis suræ, cruris, brachii, etc. In ambis casibus istis, vires redundant. 3.° Sed aliàs aliter res se habet; si enim verò, vigente inflammatione, debilitas generalis et summa, uti in febre adynamicâ, superveniat, tùm in parte excitationem offerente, reactionisque impotente ob virium lapsum, gangræna oritur, uti ab illustri barone *Boyer* (1) et clar. *Richerand* (2) in penibus blennorrhagiâ tentatis, dùm vigeret febris adynamica, visum est.

2.° *Commotio*. Cùm post percussionem violentam commotio corpori immissa fuit, stupore pars affecta derepentè corripitur, uti sub actione globulorum è tormentis bellicis ejectorum res videri licet. In hocce casu miserrimo, vires quasi attonitæ effugiunt, gangrænaque mox partem invadit. Nonne tamen ad nugas revocanda est historia sphaceli, qui à motu terræ ortum duxisse dicitur (3)? Non possum prætereà quin de actionis nervorum aut *innervationis* cessatione in adducendâ gangrænâ oscitanter dicam. Hæc causa si quidem à *Fabricio ab Hildano* (4) impar judicata in generatione sphaceli, etsi à *Quesnay*, *Richter* (5), *Callisen*, valens habita fuerit, planè nulla mihi videtur ad gangrænam efficiendam. Nonne etenim paralysi laborantes quotidiè deprehendimus, ad extremum vitam degentes, nec in partibus affectis gangrænâ læsos? Quid prætereà ex obser-

(1) Traité des Malad. chir., t. 1, p. 143.

(2) Nosog. chir., t. 1, 2.e édit.

(3) Misc. cur. nat., obs. 127.

(4) De gang. et sph., cap. 6.

(5) Elementi di chirurgia, recati dall' idioma tedesco, etc., t. da. *Thomasso Volpi*, cap. 3, §. 132.

vationibus à *Lamotte* (1) et *Ledran* (2) excerptis educendum est, quod opinioni, quam hîc propugnare conamur, consonare queat?

3.° *Affectiones asthenicæ.* Affectiones variæ, habitu asthenico indutæ, gangrænam sæpè afferunt, modò sponte, modò sub irritamento. Ex his affectibus haud sigillatim perscrutandis, adnotandi præsertim veniunt, œdema, anasarca, lues venerea, febres putridæ aut adynamicæ, scorbutusque vehementer grassans (3); huicque morbo revocanda videtur affectio quæ à *Poupart* (4) apud infantes quinquennes potissimùm in orphanotrophio, genas et in puellis vulvam erodere visa est, et à clar. SAUVAGES *necrosis infantilis* fuit vocata (5).

5.° *Senectus.*

A genere causarum nunc enarrato non multùm mihi distat senectus. Nonne hîc quoque debilitas summa? Quid vitæ, corpori toto, quid extremis sub hoc habitu, haud rarò inesse videtur? A multis in dubium revocatam fuisse gangrænam senilem non me fugit; sed nîlne fidei aut ponderis concedendum est historiis quibus virorum summè commendandorum opera scatent, et quarum sequentes adducam. Seni fatuo, neque herè atque hodiè, sed diutissimè debili, fatiscebant tandem usque eò, cùm languidum cor, tùm effœtus partium calor, ut à minimâ corporis offensâ sequeretur protinùs perniciosissima gangræna, dispergens se per iners hocce corpus, tam liberè ac latè, ut id intra paucos dies consumpserit universum.

Non licebat illi vel natibus insidere, vel cubito incumbere, nedùm calcem pavimento imponere, vel scapulum in parietem in-

---

(1) Traité complet de chir., chap. 12, obs. 28.
(2) Obs. de chir., n.° 48, communicante *Léauté*.
(3) Vide *Milmann*, *Lind*, opera, et *Rouppe*, de morbis navigantium.
(4) Hist. de l'Acad. des Sciences, ann. 1699.
(5) Loco citato.

clinare, quin protinùs extingueretur calor, et à gangrænâ obsideretur, etc. (1) Viro cùm in decrepitâ ætate (septuaginta annos) frigus molestum et stupor in crure sinistro exortus esset, gangræna secuta est, etc. (2) Gangræna senilis, post insultus apoplecticos, in viro octoginta annorum, circa articulationem pedis extremi cum tibiâ orta est, nec fuit lethalis (3). Gangrænæ senilis per ustionem sanatæ observatio à *Puzin* narratur (4). Gangræna in nonagenario, ex siccato fluxu ichoroso, brachium occupans, et ægrotantem pessundans, observata fuit (5). Digitorum pedis spontanea gangræna in sene lethalis visa est (6).

6.° *Materies nociva.*

Materies nociva in corpus ingesta, in eo inserta, intra id effusa, aut ei applicata, frequentissimè gangrænæ ortum suppeditare cernitur.

1.° *Materies ingesta.* In multis regionibus, præsertim in Soloniâ, cùm nimia secalis cornuti (7) quantitas farinæ immiscetur, incolæ qui pane ex eâ confecto vescuntur, lassitudine temulentiâque quasi corripiuntur; his cutis pallet ac livescit absque febre, aut inflammatione; mens hebes est; quæ symptomata mox sequuntur digitorum et membrorum torpor, cutisque eos obtegentis corrugatio, quasi in aquâ calidâ diù stetissent; ad hæc accedit dolor sæpè crucians,

---

(1) *Tulpii* obs., lib. 3, cap. 46.
(2) *Fab. ab Hild.*, cent. 4, obs. 93.
(3) Diss. inaug. *Mauritii Cazim. Weneber*, Præside *Hamberger*.
(4) Thèse inaug., 1809.
(5) Ephem. cur. nat., obs. 126.
(6) *Ried.* obs. chir. 42.
(7) Videas librum celeb. *Tessier*, cui titulus est : *Traité des maladies des grains* : in eo, *Salerne*, *Read*, *Scleger*, *Model*, *Parmentier*, experimenta de secale corniculato, ritè perpenduntur.

gangrænaque sicca membrum invadit. Hæc affectio frequenter senes, rarò puellas, mulieres ferè nunquàm tenet (1). Manus rarò, pedes sæpè siderat, à digitis ad truncum serpens; membra tota usque ad inguina occupans visa fuit (2).

2.° *Materies delapsa.* Sub vi illatâ, causâve internâ, receptaculis fluidorum foramina fiunt, et per ea materies in texturâ corporis delapsa, illam seriùs ociùs, pro quantitate nocivitateque propriâ, morte sæpenumerò afficit. Quæ animadvertenda veniunt, cùm viæ, per quas urina educitur, in parietibus suis exitum urinæ præbent; cùm è recto fæces subliquidæ per aperturam delabuntur; cùm, post arteriam læsam, in interstitio organorum sanguis effusus, ibi aneurysma spurium primigenium efformat; cùm sub vulneratione quâve venarum aut capillarium vasorum, sanguis in focum unum collectus est; indèque tumor haud resolvendus enatus est.

3.° *Materies inserta.* Per insitionem in texturâ organorum, materiei nocivæ, et imprimis substantiarum quæ *veneni* nomine donantur, gangrænæ multoties generatio supervenit. Quæ res in vulneribus per arma veneno inquinata morsibusque animalium venenosorum illatis, se habet sæpiùs. Ex omnibus bestiis quæ gangrænam per morsum inferre valent, viperæ facilè sunt primariæ: ipsarumque vis lethiferæ observationes referam quasdam notandas. *Lamotte* (3), die quartâ vulneris per morsum viperæ digito mulieris inflicti, brachium sphacelo mactatum reperiit, abscindendumque habuit. In historiâ sequenti, celeritate terrificâ venenum viguit: noctu dormiens, vir quidam morsus est à serpente. Manè enim, cùm ei brachium servus, dominum à somno excitaturus, traheret, caro omnis putrilagine consumpta corruit, moxque et ossa corruerunt,

---

(1) *Noël*, hist. de l'Acad. des Sciences, ann. 1710.
(2) Prix de l'Académie de chirurgie, Mémoire de *Barbet*, t. 4.
(3) Loco citato, obs. 32.

omni carne exuta (1). A morsu variorum animalium insectorum aut repentium gangræna sæpè ortum duxit. Hîc quoque referre licet casum *Bufonis*, qui, cùm per contactum fœdasset salviam quæ in acetariis comesa fuit à duobus viris, eis lingua obtumuit, nigrevit, gangræna supervenit, indèque mors (2). Hirudines ipsæ per morsum gangrænam attulerunt, uti in observationibus, quæ sequuntur, videri licet. Quidam cùm nataret, morsus fuit ab hirudinibus : is cùm vulnera neglexisset, correptus est gangrænâ circa femur. Caro computruit, et frustulatim decidit (3). Cuidam in aquâ natanti hirudines circa pedes adhæserunt, magnamque sanguinis quantitatem unicâ vice attraxerunt. Harum unâ venenatâ existente, totum indè crus sphacelatum est, ità ut chirurgi hujus ægri curam suscipere recusarent, etc. (4).

4.° *Materies corpori applicata.* Materies diversæ, pravâ indole indutæ, corpori admotæ, eique inhærentes, gangrænam afferre queunt; et inter eas medicamenta ex oleo confecta, plantæque venenificæ nonnullæ, ut *rhus toxicodendrum*, summoperè notandæ veniunt. Ad hæc quoque accedere videtur aër inquinatus, qui in carceribus, navibus, nosodochiis, etc., quandoquè præter putredinem aut gangrænam nosocomialem, quam vulgò adducit, gangrænâ verâ sæpiùs vulnera fœdat.

7.° *Motus sanguinis impeditus.*

Ut sedulò perpendamus quantùm ad generandam gangrænam motus sanguinis impeditus valeat, hanc causam in corde, arteriis venis et capillaribus vasis seorsim indagabimus.

---

(1) *Schenk* ex *Gilberto* Anglic., lib. 7 de Venenis.
(2) *Amb. Paré*, des Venins, liv. 21.
(3) *Schenk*, loco citato.
(4) *Id.*, loco citato.

1.° *In corde.* Nùm sub corde aneurysmate, concretione in valvulis, aut constrictione in ostiis affecto, pars aliqua corporis primitùs gangrænâ corripi potest? Hæc quæstio haud minimi ponderis in dubium revocata ab illust. barone *Corvisart* (1), affirmativè fuit soluta à quibusdam. Nisi pudeat me hîc opinionem emittere, satiùs irridet bar. *Corvisart* effatum. Quid enim ex observationibus à profess. *Richerand* allatâ (2) concludere licet? Nonne quotidiè absque vitio in organis circuitûs sanguinis sphacelos deprehendimus, quorum causa nos omninò fugit? Nonne pariter affectus organici cordis et vasorum enecant ægros, qui nec sphacelo, nec gangrænâ laborârunt?

2.° *In arteriis.* Gangrænæ et sphacelo aneurysmata arterialia concomitantibus, ut à *Fabricio ab Hildano* (3) in aortâ visum est, supradicta revocanda sunt, exceptis attamen aneurysmatibus veteribus, in quibus adeò coaluit fibrina, ut sanguinis gradus ferè planè impediatur: quod prætereà ad ossescentiam arteriarum attinet, si haud absque dubio causa hæc habenda sit in casibus præmultis, in sequenti manifestò patet (4). Mulier circiter 50 annorum, sphacelo sicco in extremis inferioribus tentata, in nosocomio rothomageo occubuit. In eâ non modò arteriæ ossefactæ, concretiones cartilaginosæ etiam, femoralem obturantes deprehensæ fuerunt. Gangræna prætereà, dùm arteria per deligationem aut compressionem clausa est, enasci potest, pro diametro vasi constricti, arteriarum circumjacentium numero, etc.

3.° *In venis.* A constrictione venarum gangrænam oriri, dùm truncus clausus aut strangulatus reditui sanguinis impar est, ex

---

(1) Essai sur les maladies, etc., du cœur, appendice à la deuxième classe.

(2) Loco citato.

(3) Cent. 2, obs. 87.

(4) Obs. communicata à præcellenti mihi amico, doct. *Dumuis.*

variis observationibus constat, inter quas notandæ veniunt histo-ria nobilis juvenis academiæ ultrajectinæ civis, qui hilari exceptus convivio, domum redierat benè potus : auræ captandæ gratiâ apertæ fenestræ pronus incubuit, cubitis innixus, sicque totâ nocte mansit vino somnoque sepultus. Sequenti mane expergefactus, dùm corpus movere volebat, concidit, credens se pedibus carere ; tristi enim infortunio subligacula arctè adstricta sic compresserant venas, ut nihil per illas redire potuerit ; dùm interim per arterias, aucto per ebrietatem impetu, sanguis pelleretur ; indè tumor partium, et ab hoc tumore major adstrictio subligaculorum facta fuit, suffocato huic omni vitali humorum motu, gangræna utrumque crus occu-paverat, quæ, citò ascendens ad femur, utrumque lethalis fuit (1) ; observatioque à *Van-Swieten* allata (2) viri qui in periculum ins-tans gangrænæ cruris inciderat. In cadavere ejus iliaca vena ab intestino colò flatibus distento, adeò compressa observata fuit, ut in hoc loco manifestò residere visa est causa mali instantis. *Fabri-cius Hildanus* quoque in defuncto à sphacelo in extremis et ad truncum ascendente hæc reperiit : nempè tumorem scirrhosum ve-nam cavam descendentem comprimentem, circa illum locum ubi in binas iliacas finditur. Additque auctor quòd plura similia exem-pla, brevitati studens, omiserit. In casu tamen hìc relato, arteria aorta etiam compressa fuerat (3).

4.° *In vasis capillaribus.* Cùm per constrictionem aut compres-sionem assiduas, in vasis capillaribus motus sanguinis impeditur, gangræna facilè succedit, si provectior causa fuerit. Hæc diversi-modò eveniunt ; 1.° per decubitum. In affectionibus adynamicis res frequenter supervenit, et hujus generis exemplum valdè notandum à clariss. *Boyer* relatum est : in eo de barbitonsore agitur, qui

---

(1) *Van-Swiéten* Comment. in *Boerh.*, aphor. de gang., ex *Boerh.* ipso.
(2) Comment. loco citato.
(3) De gang. et sph., p. 775.

postquàm in sacro, et posteà in lateribus ambis per decubitum, ulcere gangrænoso tentatus fuerit, cubitis et genubus immorari coactus est, miserrimasque aliquot dies sic perduxit (1). Ad hanc accedit historia mulieris quæ continuò mentum pectori applicatum gerens, in eorum conjunctione gangrænâ correpta est (2). 2.° Aliàs gangræna à causâ mechanicâ premente ortum ducit, uti in deligationibus fracturarum nonnullarum, vinculis aut assulis res efficitur. 3.° Aliàs à constrictione partium intùs jacentium enascitur, modò acriùs et promptiùs, uti in herniis genuinè strangulatis et in exitu viscerum per vulnus cernere licet; modò leniùs et lentiùs, uti in herniis infarctu suffocatis.

8.° *Habitus specificus.*

Causæ specificæ tribuenda mihi videtur gangræna quæ modò symptomaticè, ut in carbunculis pestilentialibus (3); modò essentialiter, ut in pustulâ malignâ, de quâ ab illustrissimo *Chaussier*, hujus opusculi præside, in libello aureo (4) tam luculenter dictum est, grassari solet. Ad hanc revocandæ sunt, autumo, gangrænæ quæ in anginis quibusdam scarlatinæ sociis observandæ veniunt; gangrænæque forsàn in variolis confluentibus sævientes : in affectibus omnibus istis, contagio ferè stipatis, malignitatique causæ vulgò tributis, non potest, nî fallor, quin causa specifica, ab efficiente didiversa (*inflammatione* vulgò) intùs latens, satis tamen denunciata, per phænomena concomitantia, generationi gangrænæ præeat.

Cùm varia causarum genera mortem parti inferre valentia, quan-

---

(1) *Boyer*, loco citato, 127.

(2) Ibid.

(3) Vide *Bertrand*, *Mertens* opera, et imprimis baronis *Des Genettes* opus medicum de bello ægyptiaco.

(4) Méthode de traiter les morsures, etc., suivie d'un précis sur la pustule maligne.

tùm in nobis fuit, prelustraverimus, non prætermittendum est dicere sæpissimè sponteque gangrænam enatam fuisse, nec ulli causarum suprà enarratarum tribuendam esse. Hujus affectionis gravissimæ vulgò, et nullomodò ab aliis gangrænis generatim habitis, signis et gradu dissimilis, exempla innumerosa ferè excerpta fuêre (1); in omnibus ferè membra tenebat, siccæque gangrenæ indolem proferebat. Ex his imprimìs notatu dignæ sunt historiæ, quibus de mortificatione extremorum *Pott* dissertatio (2) fulcitur.

---

(1) *Morgagni*, de sedibus et causis morborum, in epistolâ 55 multa hujus generis collegit.

(2) Œuvres chirurgicales, t. 2.

HIPPOCRATIS SENTENTIÆ GENERALIORES

(*De Praxi medicâ*).

I.

Morborum naturæ medici (*Epid. VI*). Natura omnibus subvenit. (*De Alim. IV.*) Non edocta et nullo magistro usa, ea quæ opus facit. (*Epid. VI.*) Stimulata et impulsa, artis peritis quæ facienda sunt demonstrat. (*De Arte.*)

II.

Medicina est additio et substractio : substractio quidem superfluorum, additio verò deficientium. (*De Flatib.*) Curationes fiunt, mox auferendo, mox addendo. (*De Naturâ hom.*) Contraria contrariorum sunt medicamina. (*De Flatib.*) A repletione quicumque fiunt morbi, evacuatio sanat, et quicumque ab evacuatione, repletio et aliorum contrarietas sanat. (§. *II*, *aph.* 22.) Qui à laboribus fiunt morbi, quies sanat; quos autem morbos quies parit, labor sanat. (*De Nat. hom.*)

III.

Medicum scire oportet, opponere se contrarium instantibus, et morbis, et naturis, et temporibus, et ætatibus, et distendentia solvere, et soluta distendere. (*Ibid.*)

IV.

Duo in morbis præstanda sunt, adjuvare, aut saltem non nocere. (*Epid. I.*) Nihil temerè assentiendum, neque quidquam negligendum. (*Epid. VI.*)

V.

In morbis, hoc sanè præcipuum est, quænam sit morborum causa et ex quo principio ac veluti fonte oriantur. Qui enim morbi causam cognoverit, is utique quæ in corpore sunt, et adeptâ per con-

traria morborum conditione, facilè poterit quæ conferunt offerre. (*De Flat.*)

VI.

Id unum spectare debet medicus, ne temeritate potiusquàm consilio, et ut facilitate potiusquàm vi curationem adhibeat. (*De Affect.*) Quæ sponte fiunt juvant. (*De Humor.*)

VII.

In morbis quos quis minimè cognoscit, medicamentum minimè vehemens potui exhibendum. Quòd si æger tibi tenuior videtur, demonstrata via est. (*De Locis in hom.*)

VIII.

Omnia secundùm rationem facienti etsi non succedat secundùm rationem, non est transeundum ad aliud, stante de eo quod ab initio visum est. (§. *II*, *aph.* 52.)

IX.

Multùm et derepentè evacuare, aut replere, aut calefacere, aut refrigerare, aut alio quocumque modo corpus movere, periculosum est; nam etiam omne nimium naturæ inimicum, quod verò paulatim fit, tutum est, tùm aliàs, tùm si quis ex altero ad alterum transeat. (*Id.*, *aph.* 51.)